



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis

Ribadeneyra, Pedro de

Mogvntiae, 1603

V. Pestilenti Iue Romæ grassante quæ gesserit

urn:nbn:de:hbz:466:1-45256

Burgenſiũ Archiepiſcopi opera, Pium rumoris invulguſ ſparſi certioſorem facit. Ille verò tantum abſuit, vt id cogitarit, vt nuncio illo tanquam aduerſa re perturbatus, in hæc ipſa verba clamans eruperit: *Abſit à nobis hoc peccatum. Video enim complacitum eſſe DEO in his famulis ſuis, inſtitutoq; viuendi, quo fructum referunt Eccleſiæ. Dum ijdem erunt, qui hæcenus, inſtitutumq; religioſe ſeruabunt, nemo illis, qui ſapient, moleſtus erit, negociumq; faceſſet.*

CAPVT V.

Pestilenti lue Romæ graſſante quæ gesserit.

INEVNTÆ æſtate anni clo. Io. **ILXVI** Romæ multi peſtilentiæ lue exſtincti, vt & morbi contagio ſerperet latius. Corruptis enim aquis ea vrbiſ regione

M 2 quæ

quæ Flaminia olim via, nunc Populi dicitur, quod stagnarent, sordibusque plenæ, & putrefactæ subterraneam puteorum frigidam corrumpere, qui hauserant, labem, præsentemque mortem senserunt. Tot passim in ea Urbis regione strages, ut tætro odore, quem afflabant cadauera, inficerent alios prius, quam opem implerent. Exincti incolarum plerique Mysteriorum viatico nõ instructi. FRANCISCVS simul detrimentum cognouit, Socios misit, qui vicatim ægrotos inuiserent. Hic opinione maiorem stragem comperit. Itaque nihil cunctandum ratus, binos statim Socios ad Pontificem legat. Hic magnam vim pecuniæ in elemosynam ægrotorum inopiæ subleuandæ liberaliter erogauit.

nit: cuius etiam, tali Pontifice
 digna, audita vox: *Ea tempora es-*
se, ut & calices auratos, Crucisque
signa argentea oppignerari vellet,
 quo CHRISTI membrorum ino-
 piam subleuaret. Eius etiam man-
 dato Socij Senatium, populum-
 que Romanum adeunt: ne diffi-
 cili tempore deessent, rogant.
 Auditi, & vero perlibenter, fa-
 ctumque est in eorum sententi-
 am Senatusconsultum: Panis,
 caro, vinum gratuito ægrotis e-
 genis è publico daretur. Ædili-
 bus item mandant, stipem ex o-
 mnibus Urbis regionibus cor-
 rogarent. Nobilibus è suo cor-
 pore duodecim viris negocium
 datum, vna cum Socijs ægrotos
 quotidie inuiserent. Igitur So-
 cij egrotantium numero per vi-
 cos explorato, Urbem in quin-
 decim regiones distribuunt: sin-

M 3 gulis

gulis officinas medicamenta-
 rias, & penū attribuunt. Ipsi bi-
 ni singulis in regionibus cum
 medico agrotos adeunt, mini-
 strant animi, corporisque ali-
 menta, nihil vt egentibus, ad
 valetudinem quod pertineret,
 deesse paterentur. Nec minor
 animis curandis diligentia ad-
 hibita, ne qua in malis consola-
 tio deesset. Sacris itaque procu-
 ratis, erratisque confessis, panis
 Angelorum migrantibus porri-
 gebatur. Iudicabat enim FRAN-
 CISCVS, quantum animus cor-
 pori, & æterna caducis ante-
 cellunt, tanto maiorem curam
 sacris adhibendam. Gratum id
 omne Societatis officium Pio,
 Senatui, populoque Romano
 accidit, vt & biennio post in-
 grauescente morbo, non per-
 inde tamen periculoso, idem
 Pius;

Pius; multo post etiam Gregorius XIII. Pontifex, Sociis iterum egrotorum curam mandavit, FRANCISCO Borgia nuper extincto.

CAPVT VI.

Primus Sociorum in Occidentis Indiam aduentus. Nouem Socij in Florida insula necati.

IN Orientis Indiam pridem Socij complures penetrarant; in Occidentis vero ad eam diem nemo. Igitur FRANCISCVS portam illic apertam, Euangelique lucem, & veritatem inculcis illis gentibus nostrorum opera inferri, ex quo familiam ducere coeperat, vehementer exoptabat. Missi primum Christi anno clo. Io. LXVI. Didacus Lopez, 1566, & Laurentius Gomes sacerdotes. Ludouicus item Ruiz,

M 4 & Al-